

# Ziber

clenda contēplationi est. Quo deinde lætior mēs discedat a cælo: & facta lentiat: quæ futura prænosci non possunt.

Digestio syderum in noctes & dies.

Cap. xxv.

**P**rimū omnium dierum ipsorum anni solisque motus prope inexplicabilis ratio est. Ad. ccclxv. adiaciunt etiamnum intercalarios dies noctisque quadrantes. Ita fit ut tradi non possint certa syderum tempora. Accedit confessio ree obscuritas: nunc præcurrente: nec paucis diebus tempestatum significatione quod prochemasin græci uocant: nunc postueniente: quod epichemasin. Et plerumque alias citius: alias tardius cæli effectum ad terram deciduo. Unde uulgo serenitate redita confectum sydas audimus. Præterea cum omnia hæc statis syderibus cæloque affixis constant: interueniunt motus stellarum grandines: hymbres: & ipsi non leui effectum ut docuimus: turbantque conceptæ spei ordinem. Idque ne nobis tantum putemus accidere: & reliqua fallit animalia: sagaciora circa hoc: uita eorum constat æstiuasque alites præpostere aut præpropere rigore: nec ante hybernos æstus. Ideo Virgilius errantium quoque syderum rationem ediscendam præcepit ammonens obseruandum frigidæ Saturni stellæ transitum. Sunt qui certissimum ueris indicium arbitrentur ob infirmitatem animalis papilionis prouentum. Ideo ipso anno cum commentaremur hæc. notatum est prouentum eorum ter repetito frigore extinctum: aduenasque uolucres ad. vi. calen. februaryi spem ueris attulisse: mox sæuissima hyeme conflictatas. Res anceps primum omnium a cælo peti legem. Deinde eam argumentis esse quærendam Super omnia est mundi connexitas: terrarumque globi differentia: eodem sydere alio tempore aliis aperiente se gentibus. Quo fit ut causa eius non iisdem diebus ubique ualeat. Addidere difficultatem & auctores diuersis in locis obseruando: mox etiã in iisdem diuersa pendendo. Tres autem fuere sectæ: chaldæa: ægyptia: græca. His addit apud nos quartam Cæsar dictator annos ad solis cursum redigens singulos. Sosigenes perito scientiæ eius adhibito. Et ea ipsa ratio postea cõperto errore correctæ est. Ita ut. xii. annis continuis non intercalaretur: quia cõperat sydera annus morari qui prius antecederat. Et Sosigenes ipse tribus cõmentationibus: quãque diligentior esset cæteris: non cessauit tamen ad dubitare ipse semet corrigendo. auctores prodidere ea: quæ protexuimus uolumini huic: raro illius sententiã cum alio congruente. Minus hoc in reliquis mirum quos diuersi excusare tractus. Eorum qui in eadem regione dissidere unam discordiam ponemus: exempli gratia. Occasum uergiliæ matutinum Hesiodus: nam huius quoque nomine extat astrologia tradit fieri: cū æquinoctium autumni conficeretur. Thales. xxv. die ab æquinoctio. Anaximander. xxix. Eudemon. xlyti. Nos sequemur obseruationem Cæsaris: maximeque hæc erit italiæ ratio. Dicemus tamen & aliorum placita. Id quoniã non unius terræ sed totius naturæ interpretes sumus: non auctoribus positus: id enim uerbosum est: sed regionibus: ut legentes tantum meminere breuitatis gratia. Cum atrica nominata fuerit simul intelligere cycladas insulas. Cum macedonia magnesiã: thraciã. Cum ægyptus phœnicem: cyprum: ciliciã. Cum boeotia locridem: phocidem: & finitimos semper tractus. Cū hellepontus chersonesum: & continentia usque athomontem. Cū ionia aliã & insulas aliã. Cū peloponnesus achaiam: & ad hesperem iacentes terras. Chaldæi assyriam & babiloniã demonstrabunt. Africa: hispaniã: gallias siliam non erit mixta. Nemo. n. obseruauit in iis: qui syderum proderet exortus non tamen difficili ratione dinoscitur in illis quoque terris digestionem circulo: quæ in sexto uolumine fecimus: qua cognitio cæli non gentium modo uerum urbium quoque singulari intelligitur nata ex iis terris quas noiaui sumpta cõuexitate circuli pertinentis ad quas quisque quæret: & terras ad eorum syderum exortus per oium circulo: pares umbras. Indicandum & illud tempestates ipsas ardores suos habere quadrinis annis. Et easdem non magna differentia reuerti ratione solis: octonis uero augeri easdem. centesima reuolvente se luna. Omnis autem ratio obseruata est tribus modis: exortu syderum: occasuque: & ipsorum tempore cardinibus: exortus occasusque binis modis intelliguntur. aut enim aduentu solis occultantur stellæ: & conspici desinunt: aut eiusdem abscessu proferunt se in emersum. Hoc melius quam exortum consuetudo dixisset: & illud occultationem potius quam occasum. alio modo quo die incipiunt apparere: uel desinunt oriente sole uel occidente: matutini uespertiniue cognominati: put alterutris eorum mane. uel crepusculo contingit. Dodrantes horarum cum minimum interualla ea desiderant ante solis ortum uel post occasum: ut aspicere possint. Præterea bis quædam exoriuntur & occidunt. Omnisque sermo de his est stellis: quas adhærete cælo diximus. Cardo tempore quadrupartita anni distinctione constat. Per incrementa lucis angit hoc a bruma: & æquatur noctibus: uerno æquinoctio in diebus. xc. tribus horis. Deinde superat noctes ad solstitium diebus. xciii. horis. xii. usque ad æquinoctium autumnum. Et cū æquata die præcedit ex eo ad brumam diebus. lxxxix. horis tribus. Horarum nunc in omni accessione æquinoctiales non cuiuscumque diei significant: oesque earum differentiarum subit in octauis partibus singulorum. Bruma capricorni ad octauo. calen. ianuarii fere. æquinoctium uernum arietis. Solstitium cancri. alterumque æquinoctium libræ. Qui & ipsi dies raros non aliquos tempore statum significatus habent. Rursus hi cardines singulis etiamnum articulis tempore diuidunt per media oes dierum spatia. Quoniã inter solstitium & æquinoctium autumnum: sidiculae occasus qui autumnum inchoat dies. xiv. at ab æquinoctio eo ad brumam uergiliæ matutinus occasus hyemem dies. xliii. inter brumam & æquinoctium dies. xlv. Flatus fauonii uernum tempus. ab æquinoctio uerno initium æstatis dies. xlviii.